



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Quis eas concedere potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Dimissorias ad primam Tonsuram, ut sic potiri possit Beneficio, quia, ut dictum est, prima Tonsura non est Ordo; tamen ad alios Ordines non potest, quando (ut proponitur) Missæ, & onera satisfacienda ex Beneficio præstari possunt per alium. Ratio est, quia hic, commodius quidem præstaret per se, sed non potest dici arctatus à Beneficio recepto, vel recipiendo, nam Beneficium jam recipit, & satisfactionem jam præstare potest per alium.

8. Nota Quarto, illas duas voces (*licentiam, aut litteras Dimissorias*) idem prorsus significare, ut expendit Sanchez lib. 7. *conf. cap. 1. dub. 26. n. 2.* id est facultatem suscipiendi Ordines.

9. Nota hic iterum (*licentiam, aut litteras Dimissorias*) hoc enim solum prohibetur Capitulum tunc dare, nam propterea potest concedere licentiam extero Episcopo exercendi Pontificalia, & ordinandi, tum exterorum, tum subditos ipsius Capituli, qui aliunde v. g. Pontifice habuerunt suam ordinationis licentiam.

10. Rursus, propter eandem rationem potest Capitulum intra prædictum annum cedere litteras commendatitias, seu Testimoniales, quia hæ litteræ non continent licentiam suscipiendi Ordines. Id certe est maxime advertendum; Sæpe enim occurrit, ut quis in prædicto anno Vacationis impetret Breve Apostolicum, per quod promoveri possit, sive à vicinioribus, sive à quocunque Episcopo Catholico, & tunc, non obstante ejusmodi Breve, debet ordinandus petere, & obtinere à dicto Capitulo testimonium suæ vitæ, quod certe tunc dare potest Capitulum, quia id non est concedere, ut dixi, licentiam suscipiendi Ordines, (hanc enim prædictus ordinandus habet per dictum Breve à Papa) sed solum est, testari de moribus. Et quidem Papa solet in eodem Breve ordinandum admonere, ut has litteras testimoniales omnino obtineat à Capitulo in ea, vel simili clausula (*omni licentia tui Ordinarii*) quæ quamvis dicat (*licentia*) tamen intelligitur solum de litteris commendatitiis, seu Testimoniis, quia licentiam Ordinum jam ipse Pontifex, ut dictum est, concedit. Ita Barbosa *de potest. Episc. alleg. 7. n. 14. & 15.* Merolla *3. d. 7. c. 7. dub. 6. Gau. in praxi Episc. 1. Cap. Sed. vacan. n. 30.* Diana *p. 8. tr. 4. res. 42. March. de Ord. 1. p. 6. c. 3. n. 77.* alique plures.

11. Nota Quinto, illud (*infra annum*) poterit ergo Capitulum, seu Vicarius ejus Generalis (sed ex speciali mandato ut ait Barb. *de potest. Episc. p. 3. all. 54.* non verò ex ipsa ratione Vicarius, ut diximus n. 1. de Vicario Episcopi) Dimissorias, seu Commendatitias pro suis subditis concedere post dictum annum.

12. Atque hæc pro Sæcularibus. Quid de Regularibus commorantibus in Diocesi?

Respondeo. Regulares non indigent Dimissoriis, quas concedere ipsis debeat Episcopus, vel Capitulum Sede vacante, in cujus Diocesi ipsi Regulares commorantur. Nam satis est, si ipsi habeant Dimissorias à suis Prælaris Regularibus eo modo, quem mox dicam. Quare infra dictum annum Sedis Vacantis, si hi habeant dictas Dimissorias à Prælaris suis poterunt ordinari, etiam in eadem Diocesi, in qua Sedes vacat ab aliquo Episcopo, qui forte ex licentia Capituli ibi Pontificalia exerceat, & multo magis ab aliis Episcopis, quando in suis Diocesis ordinationem celebrant. Ita fuse probat, & efficitur Quintana *de Ord. sing. 8. Pyrrh. Conrad. in praxi disp. 4. c. 6. n. 16.*

PRÆLATI REGULARIUM EXEMPTORVM.

13. Hos posse concedere Dimissorias suis subditis, immo, & Novitiis (sed his cum patrimonio, vel Beneficio, ut supra dixi, & non ad titulum Paupertatis) quia participant omnia Religiosorum privilegia, dubiumne sit, habes de Religiosis apud Quintan. *de Ord. sing. 8. Sanchez in summa l. 6. c. 10. à n. 18.* Dian. *p. 5. tr. 10. res. 43. March. 1. de Ordine p. 6. c. 4. n. 6.* & de Novitiis apud Marchinum, aliosque, quos vide propter varios casus, quos ipsi discutunt.

14. Hic adverte, extare Decretum Clem. VIII. *Quod per extensum cum alia declarat.* Card. affert Pyrr. Conrad. *de disp. l. 4. c. 16. 17.* quo vult has Dimissorias Regularium debere dari cum duabus conditionibus sub pœna privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ Prælati eas non observantis. Prima, ut hæ Dimissoriæ non dirigantur, nisi ad Episcopum illius Diocesis, ubi habitat Religiosus ordinandus, nisi forte is Episcopus abfuerit, vel Ordines non celebraverit; Secunda, ne in Dimissoriis hoc ipsum exprimitur.

15. Vult hoc decretum, ait Castrop. *de Ord. disp. 2. n. p. 15. n. 8. sine*, non videri usu receptum, quia illud Prælati Regulares observare non solent.

16. Licentiam suscipiendi Ordines, seu Dimissoriarum concessionem non posse à nostris Societatis IESU Superioribus localibus dari, sed à Provinciali, vult Pater Noster Generalis in *Compend. Privileg. Soc. Iesu V. Ordines.* An amplior potestatem habeant Superiores locales aliorum Religionum, eorum praxis, & ordinationes consulantur.

§. III. De Duratione prædictarum litterarum.

1. Hæ Dimissoriæ, seu licentiæ absolute à quocunque legitime concessæ non cessant lapsu temporis, ut vult Camp. in *suo D. versorio Rubr. 9. cap. 7. num. 15.* dicens ita fuisse decisum Barbof. in Trident. *sess. 7. c. 11. de Reform. num. 3.* Clar. *de potest. Episc. p. 2. alleg. 7. n. 23.* Sanchez *l. 8. de matr. d. 28. n. 83.* & Meroll. *tr. 3. d. 7. c. 7. d. 6. n. 88.* Nam si tempus fuit limitatum, cessabunt sanè, eo finito tempore. Poterunt ergo dictæ absolute litteræ habere effectum post amotionem ab officio, vel mortem concedentis, quia sunt gratiæ factæ; nisi tamen, ut semper supponendum est, à successore non revocentur. Leges Sanchez *l. 7. consil. 6. 1. dub. 20. n. 18.* Omnes enim licentiæ à quocunque successore, æqualem potestatem habente, revocari possunt.

2. Idem dic, si datæ fuerint à Capitulo Sede vacante; eodem enim modo durabunt, etiam post Sedem plenam, nisi à novo Episcopo revocentur.

3. Verum commendandi sunt ij Episcopi, qui imitantur Sanctum C. Nolum Borromæum, ut refert Pyrr. Conrad. *l. c. num. 21.* in edictis de Sacra Ordinatione præcipientem, ne Dimissoriæ sint vetustiores duobus, vel tribus mensibus à die ultimæ ordinationis computandis, nisi ob absentiam Superioris; commendandi, inquam, sunt, quia in decursu notabili temporis facile mutari ordinandi mores possunt, & ex Agno Lupus evadere promovendus.

CAPUT IX.

De Examine Ordinandorum.

1. De doctrina, quæ est exploranda in ordinandis dicam, in *lib. de irregul. cap. 12. §. 1. & 2.* nunc solum agendum est de jure, quod Episcopi in iis examinandis habent.

2. Tridentinum *sess. 10. de Reform.* jubet, examen debere præcedere ordinationem, debet autem fieri à proprio Episcopo, etiam quoad Religiosos ordinandos, vide Trident. *sess. 23. cap. 12. de Reform.*

Possunt tamen Episcopi se remittere examini Superiorum, si non non appareat clara ordinandi ignorantia. Possunt etiam committere aliis, quos ipse Episcopus designabit, & possunt etiam ipsis litteris Dimissoriis illos designare, & maxime possunt hoc examen committere ipsi Episcopo, ad quem subditum suum dimittunt, ut Sacra Congregatio declaravit, teste Barbofa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 7. n. 22.* Si Summus Pontifex alicui Religioni, post hoc Tridentini Decretum, concessit, ut ejus Religiosi absque examine promoverentur, examinari certe ab Episcopis non debent.

3. Quando